



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**EVANGE=||LIA || QVAE CONSVETO || MORE DOMINICIS ET ||
alijs Festis diebus in Eccle-||sia leguntur**

Aemilius, Georg

COLONIAE, 1555

In Die Annvnciationis Mariae Virginis, Evangelivm Lvcae I. Cap.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69317](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69317)

FESTIVALIA.

Alter Matthias simili pietate refulgens.
Protinus in cælum uersis cum lumine palmis
Talibus incipiunt omnes uno ore precari:
Omnipotens rerum genitor, qui pectora nosti
Intima, qui sensus & corda latentia cernis,
Nunc famulis ostende tuis, da noscere signo
Què pater alme probes ad munera sancta uocādū,
Qui tibi complaceat, tua quem diuina uoluntas
Eligat, ut sortem nostri partemq; laboris
Accipiat, falsiq; loco succedat Iudæ,
Munere qui tanto crudelibus excidit ausis,
Aeternæq; locum pœne damnatus adiuit.
Hæc ubi communi fecere precamina uoto,
Continuò sortem iactis misere lapillis,
Lumine seruantes utri contingeret, illa
Matthiam supra cecidit, quem fausta precati
Omnia suscipiunt duodenum in parte ministrum,
Munus Apostolicumq; uiro cum nomine tradunt.

Apostolorū pre-
catio.

IN DIE ANNUNCIATIONIS MARIAE
VIRGINIS,

EVANGELIUM LVCAE I. CAP.

ARGUMENTVM.

Angelus ad Mariam ueniens Legatus Olympo,
Nunciat ut Natum sit paritura Dei.

P S Et

EVANGELIA



ET iam sextus erat cōcepto à pignore mensis
 Elizabeth, celo cū nuncius Angelus alto
 Venit ad intacta castissima tecta Mariæ,
 Illi iussa ferens summi commissa parentis.
 Vrbs antiqua iacet Galilæis Nazareth oris,
 Parua quidē, sacris sed enim prædicta Prophetis,
 Hic desponsa uiro Virgo cui nomen Ioseph
 Stirpis Iesseæ tectis habitabat in arctis,
 Nomine uicini solito dixere Mariam.
 Angelus huc ueniens mox ingressus ad illam,
 Atq; oleæ ramum prætendens talia dixit:
 Salue Virgo decens summo dilecta parenti,
 Gratia te domini plenis amplectitur ulnis,
 Ipse Deus tecum, mulieres inter & omnes
 Omnia te merito benedictam secula dicent.
 Talibus obticuit caelestis nuncius aule.

FESTIVALIA.

Illā uidens Iuuenem gestuq; & uerba loquentis
Obstupuit turbata animo, castumq; pudorem
Emisit signata genas, nec soluere uocem
Ausā fuit, tantū uoluebat talia secum:
Qualem fert misera mihi nuncius ille salutem
Virginis ille metum uultu præsensit ab ipso,
Sustulit & uanum tali mox uoce pauorem:
Ne metuas Virgo, quoniam tibi contigit ingens
Gratia supremi ueniens bonitate Parentis,
Hec deferre tibi celo qui nuncia iussit.
Aspice concipies sed non sine numine prolem,
Et paries Natum, facies cui nomen Iesu,
Magnus enim fiet, summi sobolesq; Parentis
Unica dicetur, factis mirandus & ore.
Huic pater omnipotens sedem Davidis auitam
Attribuet, supraq; domum regnabit Iacob,
Imperium sine fine tenens, & cuncta gubernans,
Illius aeternos Regnum durabit in annos.
Talia dicentem celi de sede Ministrum
Audit ubi, contra sic rettulit anxia Virgo:
Qua ratione precor fieri hæc in uirgine possunt
Ipsa mihi quoniam salui sine labe pudoris
Conscia non unquam tactus sum passa uiriles.
Angelus excepit: Ne te res ista moretur,

Humano

EVANGELIA

Humano non ista modo conceptio fiet,
Sed uirtute Dei, rerum cui summa potestas
Namq; superueniet celo te spiritus alto,
Et patris æterni tibi uis instabit obumbrans.
Conceptumq; feres cælesti semine Natum.
Hinc sanctum quodcumq; tua nascetur ab aluo
Semper erit, Natusq; Dei dicetur in æuum,
Ut tamen ista magis credas, cognata probabit
Elizabetha tibi, quæ corpore foeta senili
Fert uterum tandem sterilis post tempora uite,
Et natum paritura uiro prouectior instat.
Iamq; agitur mensis grauidæ bis tertius illi,
Publica quàm sterilem testatur fama tot annos.
Sed nihil est, quod non ualeat diuina potestas,
Nec res ulla Deo non perficiendâ manebit.
Quo minus ipsa etiam dubites, quæcumq; locutus
Euentura tibi, fies cum Virgine mater,
Nomen utrunq; simul mira ratione tenebis.
Hæc ubi fatus erat cælestis Nuncius aule,
Iam firmata fide respondit talia Virgo:
En ancilla Dei quamuis indignior adsum
Cuncta mihi fiant, quæ nuncia uoce tulisti.
Nec mora disceßit fulgenibus Angelus alis,
Iam fidei plenam leto sub corde relinquens.

IN DIE